

VIRO MAGNIFICO
SVMME VENERABILI EXCELLENTISSIMO
DOCTISSIMO

CAROLO GOTTLOB
HOFMANNNO

S. S. THEOL. DOCTORI AC PROFESSORI PVBLI
CO ORDINARIO PRIMARIO ORDINIS THEOLOGORVM
SENIORI ELECTORALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI
ASSESSORI TEMPLI PAROCHIALIS PASTORI CIRCVLII
ELECTORALIS SAXONICI SVPERINTENDENTI
GENERALI

DOMINO ATQVE PATRONO

SVMMA PIETATE SVSPICIENDO

N A T A L E M

CAL. OCTOBR. CIDIICCLXVIII

FAVSTIS RENATVM AVSPICIIS

PIE GRATVLATVRVS

DISSERIT

DE GENIO AD ILLVSTRANDA ALIQVOT HORATHI VATIS
LYRICI LOCA.

M. IO. CHRIST. MESSERSCHMID

Rom. A.

446, 6

VIRI MAGNIFICI

AD HONORANDUM

ILLUSTRISSIMO

PRINCIPALI

AC ACADEMICO

SECRETARIO

AC ACADEMICO

SECRETARIO

AC ACADEMICO

SECRETARIO

AC ACADEMICO

SECRETARIO

AC ACADEMICO

SECRETARIO

AC ACADEMICO

SECRETARIO

AC ACADEMICO



SI, venusini vatis, canentis molliter, hortatu, ne dicam, iussu, prospera luce exorta, dicenda bono sunt bona verba die; octobribus hisce calendis **TIBI** in primis, **VIR MAGNIFICE**, vota nuncupanda sunt, quibus **TVVM** celebras diem natalem. Multa sunt, ob quae istae **TIBI** bonae, hoc est, felices, prosperae, auspicatae sunt, e quibus egregium est, quod non aetatem tantum superasti ingrauescentem, sed fers decrepitam. Si **PLINIUS** (Hist. Natur. VII, 50) senectutis commemorat molestias, hebescunt, inquit, sensus, membra torpent, praemoritur visus, auditus, incessus, dentes etiam ac ciborum instrumenta, et tandem hoc vitae tempus annumeratur, ac tandem colligit, naturam nihil breuitate vitae praestitisse melius. At **TVA** aetas exacta, sed nondum affecta est, et senectutis potius praemia, quam molestias experiris, nec unquam eam sentis imbecilliorē faciam, quam adolescentia fuit, quare nihil habes, quod eam accuses. Proinde illas iure ac merito bonas, quid quod festas habes. Verum, quem ad modum non **TIBI** soli natus es, sed orbi, cum litterato, tum sacro: ita et hic gaudet, vehementerque laetatur. In primis, quos veritates caelestes, partim ex cathedra, partim ex suggesto sacro doces, de hac **TIBI** felicitate gratulantur, nec annare tantum, et perennare **TE** feliciter iubent, sed et de suis annis, immo ab ipsa aeternitate, integra **TIBI** saecula decerpunt. Quid dicam de familia, de coniuge, de liberis, de generis, de nuro, de nepotibus, qui **TE** maritum, parentem, socrum, auum colunt, et quorum fortuna ex **TVIS** consiliis pendet? Omnis eorum cogitatio, votumque eo spectat, ut eorum gaudio, honori, solatio, voluptati, obsequio



quam diutissime serueris. Sicut autem illae calendae, quibus natus es, TIBI felices, felices orbi sacro, felices reipublicae litterariae, felices TVIS necessitudinibus sunt, ita et illas felices nuncupare mihi liceat, illarumque laetabundus recordari. Molestiae, difficultates temporum, dubia ac infirma valetudo, res aduersae omnes, abs TE ope atque auxilio caelesti arceantur!

Salua, laeta dies, meliorque reuertere semper!

Haec summa est religionis, quam profiteor TVIS calendis octobribus, ac qua cum officium clientis TIBI, tum vota pro TE, pro sanctissimo nomine ad DEVM facio

PRO eo, quo me complexus es, fauore, hoc pietatis testificandae genus non male TE fore interpretaturum, haud despero. Sed quo feres animo, TVO natali me dare, donare, dicare, consecrare aliquid de geniis ex HORATIO depromptum? nonne hoc scripturae genus leue et non satis TVA persona dignum iudicatur? quid profana sacris? Verum, optime gnarus, quantis in deliciis HORATIVM olim habuisti, etenim cum viris doctrina praestantibus methodum siue rationem interpretandi Q. HORATII FLACCI poemata anno saeculi huius vicesimo et nono communicasti, atque adhuc etiam habes, nec ab eiusmodi studiis, quae ab humanitate nomen petunt, ac quae in mei muneris rationem quam optime conueniunt, plane abhorres, non vereor, ne frontem contrahas, quin potius, nares corruges, si TIBI lecturo exposita capira, nec explicata videntur; id quod facile fieri potest, quoniam, quam exiguum sit meum iudicium, sentio. Ego vero, ab vana eruditionis ostentatione quam longissime alienus, quae commentatus sum, ex animi TIBI deuoti affectu offerre, TIBI obtestor. Quae si ea mente acceperis, non est periculum, ne meum factum vituperes

DE geniis acturo, mihi non sumo, quidquid de illis litterarum monumentis consignatum est, proferre, atque historiam componere. Industriae foret mediocris, quae GYRALDVS ^{a)}, BARTHIVS ^{b)}, LINDENBROGIUS ^{c)}, WONNA ^{d)}, RABENER ^{e)}, FROBESIVS ^{f)} atque alii complures, iidemque auctores grauissimi, quos ZIMMERMANNVS ^{g)} ac FABRI

CIVS

^{a)} histor. deorum syntagm. 15. T. I. eiusdem oper. p. 435

^{b)} aduersarior. L. LII, c. 12, p. 2448 et animaduers. ad RVTILLI itinerar. L. I. v. 327

^{c)} not. ad CENSORINVM de die natali

^{d)} diss. de geniis, lenae MDCCCXIII habitis et translatis in syntagma II. disert. philol. Roterod. MDCCC p. 3

^{e)} diss. II. de daemonibus Lips. MDCCCVI, MDCCCXVII

^{f)} in mysterio de daemonibus siue geniis atque intelligentiis philosophorum strictim et fideliter reuelato, Helmst. MDCCCXXXVIII

^{g)} in florilegio philologicohistor. p. 374. f



CIVIS ^{b)} laudant, de iis multo labore ac sudore exposuerunt, congerere. Verum nimis longum foret, quidquid de geniis, non singulis solum hominibus, sed totis etiam familiis, operibus publicis, populis, annibus, immo diis etiam ipsis attributis disputarunt, commemorare. Interim tantum, quod ad HORATII sententiam cognoscendam satis est, strictim perscribere necesse. Genii vero vocis si rationem curare volumus, eiusque originem simul ac notationem inquirere, vim eius luculenter declarat CENSORI NUS ⁱ⁾. Etenim, genius, inquit, est DEVS, cuius in tutela, ut quisque natus est, vivit. Hic, siue quod, ut genamur ^{k)}, curat, siue, quod vna genitur nobiscum, siue etiam, quod nos genitos suscipit ac tuetur, certe a genendo genius appellatur — Genio potissimum per omnem aetatem quotannis sacrificamus — Genius ita nobis assiduus observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris exceptos, ad extremum vitae diem comitetur. Quod ad huius opinionis incunabula spectat ac valet, tantum abest, ut ab chaldaeis petamus, ut ab aegyptiis deriuemus. Quamuis enim ANT. VAN DALE (de orig. et progr. idolol. c. IV), rebus quibusdam quemdam daemonem curatorem praeficiendi, in more positum esse institutoque chaldaeorum, perhibeat, attamen, quoniam, quae de chaldaeorum sapientia tamquam tabulas e naufragio tenemus, non ex ipsius gentis sunt hausta actis, sed maximam partem a graecis, quae graecam saepe hac in re probarunt fidem, ad nos transmissa, et arcana atque symbolica populum docendi methodus in ea gente introducta est, nihil certi atque indubitati ex eius gentis historia de hoc placito hauriri potest. De aegyptiis duo dantur testes, IAMBlichVS alter, alter MACROBIUS. Etenim ille de mysteriis Sect. IX non de daemonibus modo praefecturam in res humanas sortitis, sed de daemone etiam, unicuique proprio verba facit, declarat etiam c. VI diserte, vnum esse praesidem, qui ad omnes actiones sese extendat, et, quaecumque in nobis sunt, gubernet. Hic autem confirmat, deos praestites homini nascenti quatuor adesse praeter *τυχην*, *ερωτα*, *αναγκην*, daemona quoque, aegyptios protendisse ^{l)}. Praeterea opinatio eadem ac suspicio non barbarorum sola mentibus insita fuit, sed aliarum quoque gentium, graecarum pariter ac latinarum animos cepit. De his graecos primum, atque ex illis non THALETEM, non PYTHAGORAM, omnium graecanicarum familiarum auctores, abs quibus caeteras graecorum philosophorum disciplinas suam proferre progeniem, in tabula

A 3

succincta

b) in bibliographia antiqu. p. 383

i) c. III. de die natali

k) Genere pro gignere *αρχαιως* dici plu-

ribus confirmat CAR. ANDR. DVKERVUS de latinit. iurisc. veterum p. 416

l) Saturnal. I, p. 269, edit. gryph.



fuccincta egregie v. ERNESTI delineatum dedit, sed PLATONEM nominare mihi licet. Geniorum munus quoniam primum fuit, in principio rerum iussu vel imperio Dei opificis mundani, vna cum astris siue diis caelestibus et creatis, velut parentibus suis hominum atque animalium corpora, quasi totidem animarum a supremo dei numine conditarum, vehicula seu domicilia, collectis ex omni elemento tenuissimis quibusque particulis efformare, PLATO in dialogo, in Timaeum inscripto, in quo de rerum natura, siue vniuersitatis atque omnium eius partium creatione, causis et facultatibus dedita opera agit, id ipsum negotium daemonibus aperte, ita vt sese res habet, dat. Etenim siderum caelestium ac daemonum ortu adumbrato naturali, ipsum mundi genitorem, deum, fere ita iisdem imperantem tradit. ^m). Dii orti ex diis, quorum opifex ego et pater sum, haec attendite. Quae a me facta sunt, me, ita volente, indissolubilia sunt — Sed iam quid iubeam, cognoscite. Tria adhuc genera mortalium nobis generanda restant — Haec si a me fiunt solo, vitae donentur, diis adaequabuntur. Quapropter accedite vos secundum naturam ad animalium generationem, ita vt vim imitemini meam, qua in ortu vestro sum vsus. Atque eius quidem animalis, quod in ipsis tale futurum est, vt cum immortalibus appellatione conueniat, diuinumque vocetur, principatumque teneat, et

^m) Θεοὶ θεῶν, ἃν ἐγὼ δημιουργὸς πατὴρ τε εἶμι, αἱ δὲ ἐμοὶ γενομένα, ἅλυστα, ἐμοὶ γε θεοῦ — Νῦν οὖν ὃ λέγω πρὸς ὑμᾶς εἰδοκτυμένως, μάθετε. θνητὰ ἐστὶ γῆν λοιπὰ τρία γένητα. — Δι' ἐμοῦ δὲ ταῦτα γενομένα καὶ βίου μετασχοῦντα, θεοὶ ἰσαζοῦντ' αὐτὰ, ἢ οὐθ' ἄλλο τι ἢ, το, τε καὶ ὅπως ἄπειρα ἢ, τρεῖσι δὲ κατὰ φύσιν ὑμῖν ἐπὶ τῆν τῶν ζῶων δημιουργίῃν, μιμούμενοι τῆν ἐμὴν δύναμιν περὶ τῆν ὑμῶν γένεσιν, καὶ κατ' ὅσον μὲν αὐτῶν ἀθάνατοις ὁμοιωμένοι εἶναι προσήκει θεοῖσι λεγομένοις, ἠγχιμῶν τ' ἐν αὐτοῖσι, τῶν ἀειδικῆ καὶ ὑμῖν ἐπιλείπονται ἐπιπέσει, σπειρας καὶ ὑπερβαίνοντες ἐγὼ παραδώσω. το τε λοιπὸν ὑμῖν, ἀθάνατων θνητῶν προσυφαινοῦντες, ἀπειραζέσθε ζῶα καὶ γίνεσθε, τροφὴν τε δίδοντες αὐξάνετε, καὶ φθίνοντα πάλιν δεχέσθε. Ταῦτ' εἶπε. — ἔσθησας δὲ το πᾶν, διείλε ψυχὰς ἰσχυροτάτους τοῖς ἀστροῖσι, ἐπέσει δ' ἑκάστην πρὸς ἑκάστον, καὶ ἐμβιβασας ὡς εἰς ὄχημα, τῆν του πᾶντος φύσιν ἰδίῃν, νομοὺς δὲ τοὺς εἰμαρμένους εἰποι αὐταῖσι. — Διατίσμοθετήσας δὲ πάντα αὐτοῖσι ταῦτα, ἵνα τοῖσι ἐπειτα εἴη κακίως

ἑκάστην ἀναιτίως, ἰσπέσει τοὺς μὲν εἰς ἥλιον, τοὺς δὲ εἰς σελήνην, τοὺς δὲ εἰς τὰ ἄλλα ὅσα ὄργανα χρόνου. Το δὲ μετὰ του σπορον τοῖσι νομοῖσι παρεδώκε θεοῖσι σώματα πλαττεῖν θνητὰ, το, τε ἐπιλοίπον ὅσον ἐστὶ ψυχῆς ἀνθρώπινης θεοῦ προσυφαινοῦντα. Τοῦτο καὶ παιδ' ὅσα ἀκολουθῶντες ἐκείνοις ἀπειραζόμενοι ἀρχὴν καὶ κατὰ δύναμιν ὅτι καλλίστη καὶ ἀρίστη το θνητῶν διακυβερταῖ ζῶον, ὅτι μὴ κακῶν αὐτὸ ἑαυτῶν γίγνεται αἰτίον. Καὶ ὁ μὲν δὲ ταῦτα πάντα διατάξας ἔμειν ἐν τῶ ἑαυτοῦ κατὰ τροπὴν ἠθεῖ, μινούτος δὲ, νοήσαντες οἱ παῖδες τῆν του πατρός τάξιν, ἐπιιδόντα αὐτῆ, καὶ λαβόντες ἀθάνατον ἀρχὴν θνητοῦ ζῶου, μιμούμενοι του σφειτεροῦ δημιουργοῦ, πυρός καὶ γῆς, ὕδατος τε καὶ ἀέρος ἀπὸ του κοσμου δανειζόμενοι μορῆα, ὡς ἀποδοθησομένα πάλιν, εἰς ταῦτα λαμβανόμενα ζυνηκολλῶν, αὐ τοῖσι ἅλυστοις, εἰς αὐτοῖσι ζυνηκόντο δεσμοῖσι, ἀλλὰ δια σμικροτήτα ἀορατοῖσι, πυκνοῖσι γομφοῖσι ζυνηκόντες, ἐν ἑξ' ἀπάντων ἀπειραζόμενοι σώμα ἑκάστον, τας τῆς ἀθάνατου ψυχῆς πῆ μιν εὖ εἰδόντων εἰς ἐπιρρυτοῖ σώμα καὶ ἀπορρυτοῖ.



et iustitiam simul, ac vos, vltro colat, ego vobis semen et initium tradam, vos caetera exsequi par est, vt immortalī naturae mortalem attexentes, faciatis generetisque animalia, subministrantesque alimenta augeatis, et consumta rursū recipiatis. Haec fatus — Quum autem vniuersum constituisset, astris parem numerum distribuit animarū, singulis singulas adhibens, iisque tamquam vehiculo impositis monstravit vniuersi naturam, ac leges fatales edixit. — Quae quum illis ita designasset, alios, ne qua penes se futurae prauitatis causa esset, in solem, alios in lunam, alios in alia sidera temporis significationi seruientia spargens quasi ferebat. Post huiusmodi sementem, quod reliquum erat, diis iunioribus agendum mandauit, vt corpora mortalia fingerent, quantumque esset humanae animae, quod reliquum huic deberet accedere, id omne et quae consequentia essent, adiungerent regerentque, et quam optime et pulcerrime fieri posset, mortalis animalis naturam gubernarent, nisi ipsum sibi met malorum causa esset. Atque is quidem, qui haec cuncta disposuit, rite in suo habitu permanebat. Quo quidem permanente, eius filii, quum parentis ordinem cognouissent, eum protinus sequebantur. Itaque accepto ab illo mortalis animantis immortali principio, sui effectorem imitati, ignis, aeris, aquae, terrae particulas, quas rursū redderent, a mundo mutabantur, easque inter se copulabant, haud iisdem illis indissolubilibus vinculis, quibus ipsi fuerunt colligati, sed talibus, quae propter prauitatem cerni non possent, crebrisque huiusmodi clavis coniunctis vnum ex omnibus corpus efficiebant, atque in hoc ipsum tum influente, tum effluente corpore animae diuinae circuitus illigabant. Idem ille PLATO testis est grauissimus, generis humani curam, tutelam, gubernationem geniis hisce esse concreditam, eamque ob causam hominum praefectos, custodes, pastores, consiliarios, curatores, comites, coadiutores, gubernatores, diuinos, hoc est, diuinitus concessos, deos assistentes, adfessores, adhaerentes, hospitales, tutelares, spiritus familiares salutari, plures, si vellem, producere possem, auctores. Classicus testis est PLATO, qui daemones iuxta ac deos coadiutores hominum, homines deorum ac daemonum possessiones seu peculium nuncupat. In dialogo de regno, cui titulum politici adscripsit, laudabilis reipublicae, seu optimi regiminis formam sub saturni regni imagine ficta depicturus, tunc sane, inquit, totius ¹¹⁾ circuitus princeps, curatorque primum Deus existit,

vt

11) Τότε αὐτῆς πρώτων τῆς κυκλήσεως ἤρχεν ἐπιμελουμένης ὅλης ὁ Θεός, ὡς ἰνι κατὰ τοποῦς ταυτοῦ ταυτο ὑποθεῖν ἀρχοῦντων πάντῃ τῶ του τῆσμου μέρη διειλημμένα, καὶ ὅθι καὶ τὰ ζῶα

κατὰ γένη καὶ ἀγγελοσ οἶον γομεῖσ θεοσ διειληφῆσαν δαιμονες, αὐταρκῆσ εἰσ πάντα ἕκαστοσ ἠν, οἰσ αὐτοσ εἰσμεσ



vt nunc per varias mundi plagas singulae ipsius partes a diis principibus distributae sunt. Animalium quoque genera, gregatim distincta, daemones quidam tamquam diuini pastores sortiti sunt, quorum quisque ad munus suum obeundum sufficiens quum esset, singuli singulis, sicut ille voluit, praeficiebantur, quibus praecerat ipse. Prorsus his similia sunt, quae de beata sub Saturno vita effinxit. Etenim Saturnus ^{o)} quum intelligeret, nullam hominis naturam res humanas ita posse gubernare, vt, si omnibus arbitrato suo dominetur, lasciuiori superbia iniustitiaque non repleatur; quum haec non ignoraret, non homines, sed diuinius praestantiorisque generis daemones ciuitatibus nostris reges principesque praefecit, quod nunc nos in ouium gregibus aliosque cicurum armentis facimus. Non enim bobus boves, nec capris capras praeficimus, sed nos ipsis genus melius dominamur. Similiter deus homines amans genus daemonum genere nostro praestantius nobis praefecit, quod summa iam sua quam nostra facilitate nostrarum rerum curam habebat, pacemque et pudicitiam, libertatem et iustitiae copiam praebens, procul a seditione, ac felix hominum reddebat genus. De latinis CENSORINVM laudauimus supra, cui SENECAM adscribo ac APVLEIVM. Ille ^{p)} vnicuique nostrum paedagogum dari profitetur deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris potestatis ex eorum numero, quos OVIDIVS ait, de plebe deos. Ita tamen hoc seponas volo, vt memineris maiores nostros, qui crediderunt hoc, stoicos fuisse, singulis enim et Genium et Iunonem dederunt. Hic autem in libro de deo SOCRATIS, de quo PLVTARCHVS ^{q)}, GODOFREDVS OLEARIVS ^{r)}, BIELCKE ^{s)} accurate copioseque disputarunt, contra breuiter et in transcurso AVGVSTINVS ^{t)}, LATANTIVS

o) γνωσκων ο χρονος ως ανθρωπινα φυσικα ουδενια ικανη, τα ανθρωπινα διοικουσα αυτοκρατωρ παντα, μη ουχ υβρειως τε και αδικιας μισουσθαι. Ταυτου διανοημενος, εφιστη βασιλεια γε και αρχοντας ταις πολισει ημων, ουκ ανθρωπους, αλλα γενοσ θειοτερου τε και αμεινοιοσ, δαιμονασ οιον νυν ημεις δραμεν τοις ποιμενοις, και οσαν ημεραι εισιν αυγλαι ου βρεβοων, ου δε αιγασ αιγων αρχοντας ποιουμεν αυτοις τινασ, αλλ ημεις αυτων διαπορομεν, αμεινον ικανων γενοσ. Ταυτον αρα και ο θεοσ δη και φιλανθρωποσ αν, το γενοσ αμεινον ημων εφιστη το των δαιμονων. ο δια πολλησ μετ αυτοις εαεωτησ, πολλησ δε ημιν επιμελουμενων ημων, ειρηνη τε και αιδα, και ελευθερια, και αφθωνια

δικησ παρεχομενον, ατασιστα και ενδαιμια, τα των ανθρωπων απειραζετο γινη

p) ep. cx

q) περι του Σωκρατουσ δαιμονιου, τ. II, oper. edit. Francof. c1010cxx

r) in diff. de genio SOCRATIS Lips. primum c1010cccii edita, addita deinde TH. STANLEI historiae philos. P. III, c. VI

s) in der histor. der natürl. Gottesgelehrtheit p. 129

t) de ciuit. dei L. VIII, c. XIV



CTANTIUSⁿ⁾, MARSIL. FICINVS^{x)}, GABRIEL NAVDAEVS^{y)}, CAR
PENTERIVS^{z)}, PETR. CHAVVINVS^{a)}, et complures alii, quos BRVCKE
RVS^{b)}, qui quidem aliquid non audet certi definire, atque RELMANNVS^{*)}
adfert, hic, inquam^{c)}; quodam significatu et animus humanus, etiam
nunc in corpore situs daemon appellatur

Diine hunc ardorem mentibus addunt.

Euryale? an sua cuique deus sit diva cupido?

Igitur et bona cupido animi bonus deus est. Vnde nonnulli arbitrantur,
eudæmonovos dici beatos, quorum daemon bonus, id est, animus virtute per-
fectus est, quem nostra lingua, vt ego interpretor, haud sciam an bono,
certe quidem meo periculo, poteris genium vocare; quod is deus, qui est
animus cuique, quamquam sit immortalis, tamen quodammodo cum ho-
mine gignitur, vt eae preces, quibus genium precamur, ad coniunctionem
nostram. Nec desunt, qui videntur mihi obtestari, corpus animum duo-
bus nominibus comprehendentes, quorum communio et copulatio sumus.
Est et secundo significatu species daemonum, animus humanus emeritus sti-
pendiis vitae, corpore suo abiurans. hunc vetere latina lingua reperio le-
murem dictitatum. Ex hisce ergo lemuribus, qui posterorum suorum
curam sortitus, placato et quieto numine domum possidet, lar dicitur fami-
liaris. Qui vero ob aduersa vitae merita, nullis bonis sedibus incerta va-
gatione ceu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis homini-
bus, ceterum noxium malis, id genus plerique laruas perhibent. Cum ve-
ro incertum est, quae cuique sortitio euenerit, vtrum lar sit an larua, no-
mine manem deum nuncupant, scilicet et honoris gratia dei vocabulum
additum est. Quippe tantum eos deos appellant, qui ex eodem numero
iuste ac prudenter vitae curriculo gubernato, pro numine postea ab homi-
nibus praediti fanis et caerimoniis vulgo admittuntur; vt in Boeotia Am-
phiarus, in Africa Mopsus, in Aegypto Osiris, alius alibi gentium, Aescu-
lapius vbique. Verum haec omnis distributio eorum daemonum fuit, qui
quondam in corpore humano fuere. Sunt autem non posteriore numero,
praestantiori longe dignitate. Superius aliud augustiusque genus daemo-
num

n) L. II, c. XV. instit. diu.

x) in argumentis et comment. in li-
bros PLATONIS

y) in spologie pour les grandes per-
sonnages faussement soupconnez de Magie
a Mons. le President de Mesme

z) in libro de vita SOCRATIS

a) de religione naturali c. XIV

b) in histor. philos. T. I, P. II, L. II,
c. II, § IX

*) in histor. atheismi p. 157

c) p. 90



num, qui semper a corporis compedibus et nexibus liberi, certis potestatibus curant. Quorum e numero Somnus atque Amor, diuersam inter se vim possident: Amor vigilandi, Somnus soporandi. Ex hac ergo sublimiori daemonum copia Plato autumat singulis hominibus in vita agenda testes et custodes singulos additos, qui nemini conspicui semper adsint, arbitri omnium, non modo actorum, verum etiam cogitatorum. At ubi vita edita remeandum est, eundem illum, qui nobis praeditus fuit, raptrahere et trahere veluti custodiam suam ad iudicium, atque illic in causa dicenda assistere, si qua commentiatur, redarguere, si qua vera dicat, asseuerare prorsus illius testimonio ferri sententiam. Proinde vos omnes, qui hanc Platonis diuinam sententiam me interprete auscultatis, ita animos vestros ad quaecumque vel agenda vel meditata formate, vt sciatis nihil homine prae istis custodibus nec intra animum nec foris esse secreti, quin omnia curiose ille participet, omnia visat, omnia intelligat, in ipsis peritissimis mentibus vice conscientiae versetur. Hic, quem dico, prorsus custos, singularis praefectus, domesticus speculator, proprius curator, intimus cognitor, assiduus obseruator, indiuiduus arbiter, inseparabilis testis, malorum improbator, bonorum probator, si rite animaduertatur, sedulo cognoscatur, religiose colatur, ita vt a SOCRATE iustitia et innocentia cultus est, in rebus incertis prospectior, dubiis praemonitor, periculosus tutator, egenis opitulatur, qui tibi queat tum in somnis, tum in signis, tum etiam fortasse coram, cum vsus postulat, mala auerruncare, bona prosperare, humilia sublimare, nutantia fulcire, obscura clarare, secunda regere, aduersa corrigere. Non igitur mirum, si SOCRATES vir apprime perfectus, et APOLLINIS quoque testimonio sapiens hunc deum suum cognouit et coluit, ac propterea eius custos, et prope, vt ita dicam, par contubernio et familiaris, cuncta quae arcenda sunt arcuit: quae cauenda praecauit, et praemonenda praemonuit: sicubi tamen interfectis sapientiae officiis, non consilio, sed praesagio indigebat, vt ubi dubitatione claudicaret, diuinatione consisteret. Complurimis testimoniis communire possem opinionem, quam ex reuelatione profana procul dubio hausit antiquitas ^{d)}, Θεους τε, refert THEODORETVS ^{e)} καὶ δαιμονίας κεκληθεν, οὗς ἡμεῖς ἀγγέλους προσαγορευομεν, καὶ τούτους τε λειτουργικούς εἶπεν εἶναι τοῦ τῶν ὅλων Θεοῦ, opinionem, quam cum

d) AD. ERDM. MIRI fabeln, welche der leidige satan aus den schriften a. und n. t. gemacht, damit er die göttliche wahrheit verdächtig maehen, und die ab-

götterey unter den heyden fortpflanzen könnte p. 26

e) opp. T. IV. ferm. VIII

cum Iudaei, tum, id quo mirum, primitivi sacri coetus purioris doctores animo imbiberunt. Verum ad H V E T I V M ^{f)}, P E T A V I V M ^{g)}, B A R T O L O C C I V M ^{h)}, B R V C K E R V M ⁱ⁾, S V I C E R V M ^{k)}, V A N D A L E ^{l)} plura nosse cupidos ablegatos volo

I N eorum, qui genium cum crediderunt, tum coluerunt, numerum H O R A T I V M quoque referimus, ex quam philosophorum secta hanc opinionem depromserit, non curaturi. Quamvis quidem DAN. H E I N S I V S ^{m)} B E R G E R V S olim nostras ⁿ⁾, I. E. I. W A L C H I V S, vel potius eo praefide, DAN. C H R I S T. P F L V G R A D T ^{o)}, de huius poetae philosophia accurate dixerint, at hic tamen locus multum habet dubitationis, quoniam,

Nullius addictus iurare in verba magistri, p)

Quo mecumque rapit tempestas, deferor hospes q)

ipse confitetur, ac vario mutabilique ingenio praeditus fuit, quod eleganter et scite his I S A A C. C A S A V E O N V S ^{r)} depingit verbis: H O R A T I V S, libertinae profapiae homo, et patre coactore natus, etsi magno parentis studio educatus, nihil spirat heic altum, sed vbique circa vulgatissima morum praecepta occupatur: quodque longe grauius est, et fatetur ipse de se, parum sibi constat, nec fidelem virtutis magistrum agit. Passim enim in aliena transit castra, non tamquam explorator, sed tamquam transfuga. Saepe stoicum dicas; saepe epicureum aut aristippeum; saepe vero de A N Y T I et M E L I T I aut A R I S T O P H A N I S gente prognatum, adeo frequenter et acerbe stoicos, penes quos solos illa aetate sapientia magisterium fuit, sugillat et irridet. Neque dubitandum est, qualem videmus in ipsius scriptis, talem fuisse in vita quoque inconstantiam, scripsit enim sicuti vixit. Sanius profecto iudicium ac maturius, quam effutire, poetam ita finxisse, vti poeta, homo summi ingenii, mentisque siue liberae siue hilaris siue compositae

B 2

dicere

f) in alnetan. quaeft. p. 134 et in differt. de Gad et Meni, quam P E T R. Z O R N I V S biblioth. antiquaria exeget p. 794 inseruit

g) in theol. dogm. P. III. in loco de angelis adde G E O R G I D' A R N A V D comment. de diis *περι θεων* c. XXVII

h) in biblioth. rabbin. T. I. p. 198.

i) histor. philos. T. I. Lib. II, c. III, V, VII, IX

k) in thes. eccles. voce *αγγελος*

l) de orig. et progress. idolol. c. IX

m) de satira horatiana p. 125

n) in diff. de philosophia H O R A T I I, Witteb. C I O I O C C I V

o) in diff. de philosophia stoica H O R A T I I len. C I O I O C C L X I V. add. C H R I S T. F R I D. I V N G E R V S comment. de H O R A T I O praecipue de eius placitis philosophicis Lips. C I O I O C C L I I

p) de sensu sententiae huius egit b. F R I D. G V I L. E L L E N B E R G E R diss. III. Hal. C I O I O C C L I I habitis, inscriptisque, de interdicto sollicito a philosopho inculcando: ne iures in verba magistri

q) epist. L. I, ep. I, v. 14

r) in prolegom. in P E R S I V M



dicere solet. Quid enim poetam adeo sibi inconstantem fingamus necesse est?

VATEM vero ita vixisse, vti scripsisse, AELIO LAMIAE non significat solum, sed etiam declarat, quem

— — *cras genium mero*

Curabis, et porco bimestri,

Cum famulis operum solutis:

adhortatur ¹⁾. Multi, vti NIEVPORT ²⁾, CAR. FRID. SCHVBERTVS ³⁾, CAR. FRID. WAGNERVS ⁴⁾, genium illum deum esse putant, quem in natalibus venerati veteres, inter natalitios, genethlios siue genitales et tutelares posuerunt, deum, qui, deorum natalium princeps, redeunte quouis anno, feriis natalitiis egregie colebatur. Etenim marem infantem, simulac natus fuit, ab ipso statim partu, huius genii tutelae credere, profani saeculi mos fuit; feminam infantem IVNONI, quoniam, vti I. E. I. WALCHIVS ⁵⁾ obseruauit, vim actiuam et procreandi res facultatem diis, deabus contra passiuam, et, quam dicunt, causam materialem attribuerunt. Contra sunt, qui, propria genii notatione neglecta, impropriam amplectuntur, genium curare, ad corporis et largioris mensae curationem atque animi pertinere remissionem, atque valere idem, ac luculentam hilaremque sibi sumere diem existimantes. Etenim tres daemonum classes, primam caelestium, deorum, aethereorum secundam, daemonum proprie sic dictorum, tertiam terrestrium, animorum hominum ab HIEROCLE ⁶⁾ constitui, constat. Quare factum est, vt nescioquis CHALCIDIVS, saeculi natum post CHRISTVM quarti platonici philosophus, ⁷⁾ daemona nuncupat animal rationale, immortale, patibile, aethereum, diligentiam hominibus impertiens, animal, quia est corpore vtens anima, rationabile, quia prudens, immortale, quia non mutat corpus aliud ex alio, sed semper eodem vtitur, patibile, quia consulit, neque enim sine adfectus perpeffione haberi potest, aetherium ex loco vel ex corporis cognominatum qualitate, diligentiam hominibus impartiens, propter Dei voluntatem, qui custodes dedit. Talem daemonum naturam esse

¹⁾ od. XVII, L. III, v. 14, 15, 16

²⁾ in compend. antiqu. R. §. 17, c. I, Sect. IV

³⁾ in comment. historicocr. de ritibus romanorum celebrandi dies natales, Helmstad. C1818CCLIV

⁴⁾ in comment. de deorum natalium apud romanos cultu, len. C1818CCLIV

⁵⁾ CHRIST. CELLARI compendium antiquitt. rom. eius annotatt. illustratum p. 17

⁶⁾ comment. in aurea carmina PYTHAG. p. 36

⁷⁾ in FLATONIS timaeo



esse putat, in diuinitate habentem consortium propter immortalitatem, etiam cum occiduis cognationem, quia est patibile, nec immune a passionibus, cuius affectus nobis quoque consulit. Neque loquendi refragatur usus, quum APVLEIVS, quem supra laudauimus, scribit, quodam significatu et animum humanum, etiam nunc in corpore situm, daemona nuncupari. Atque huius vocabuli sensum esse, atque humanam denotare mentem, eius siue bonam, siue malam indolem, ac diuersas cupiditates, alii dicendi modi firmant et docent. Quam ob rem si PERSIUS ^{b)},

Indulge genio: carpamus dulcia

idem valet, atque obtempera animo tuo atque eius voluptati. Si TERENCE TIVS atque PLAVTVS, ille ^{c)}

Suum defraudans genium, comparfit miser

hic ^{d)}

— *egomet me defraudauit*

Animumque meum geniumque meum, et ^{e)}

Sed isti, qui cum geniis suis belligerant, parci promi, eorum verborum vis est, resistere menti, naturae, quum aliquid, speciatim cibum adpetit, ac ventri bellum indicere. Si MARTIALIS ^{f)},

— *habes nec cor, Papile, nec genium*

vituperat PAPILVM, quod ipsi fatuo et insulso viles cibi aequae sapiunt ac pretiosi et, genio suo non indulgens, potius illum defraudans, aliis laetus est, sibi sordidus. Si HORATIVS AELIVM LAMIAM, vt genium mero curet et porco bimestri, hortatur, hortatur, vt genio indulgeat et oppipare epuletur, quem ad modum et illustrissimus comes hunc locum ita conuertit:

*Dis ist die beste zeit, daß man zu hause bleibt,
Den heerd mit holz belegt, und sich zum feuer setzet,
Mit einem becher wein der grillen schwarm vertreibt,
Und auf ein kleines schwein das schlächtermesser wetzet.
Und also bring den tag, der morgen kommt, in ruh,
In lust und frölichkeit, nebst deinen dienern zu.*

Ne, quidquam precario adsumtum, obiiciatur, ipsius odae summa docet, minime de LAMIAE, cui dedicata est, priuato natali sacro agi, sed de brumae diebus festis, amoenis ac voluptariis, genio, hoc est, mensae et hilaritatis, minime naturae deo institutis feriis, atque genii curationem, ad vitae genialis meliorem cultum, ad solito liberiores obsonationem, quae porco bime-

B 3

stri

b) sat. V, v. 151

c) Phorm. art. I, sc. I, v. 10

d) aulul. art. IV, sc. IX, v. 14, 15

e) truculent. art. I, sc. II, v. 81

f) L. VII, epigr. LXXVII



stri, coenae capite, neutiquam immolandi, sed comedendi potius causa caeso celebratur, pertinere. Quamuis, curare genium, idem ac eum colere, atque ea, quae ad eius religionem facere, procurare, denotare, tradant, quoniam CICERO ^{g)}, omnis cultus et curatio corporis adhibenda deo, quae adhibetur homini, it. ^{h)} o prouincia! etiamne hic mihi curandus est? PLINIUS ⁱ⁾, REGVLVM curari a nobis, LIVIUS ^{k)}, curare prodigia, perhibent: quid impedit, quominus, sub dictione genium curare eandem subiectam sententiam esse pronunciemus, et idem signare, atque, quod gulae atque voluptatibus deditus adhibet, signare. Quamuis etiam porcus inter escas natalitias apponeretur, ita enim LEO apud PLAVTVM ^{l)}:

Nam mihi hodie natalis dies est. decet eum omnes vos concelebrare.

Pernam, callum, glandium, sumen, facito in aqua iaceant: satin audis?

Magnifice volo enim summos viros accipere, ut mihi remesse veantur.

ac IUVENALIS ^{m)}:

Et natalitium cognatis ponere lardum:

at porcus tamen genio, natali deo vti telluri, vti laribus, num immolatus sit? stabiliri et figi, vix credo. — Agnum immolatum esse, HORATIVS docet. Fidicinam PHYLLIDEM ad MAECENATIS natalem inuitans canit:

— — *ara castis*

Vincta verbenis auct immolato

Spargier agno ⁿ⁾

Genium animi, in quantum corpus suum amat, eiusque delectatur voluptatibus, capere significationem, neque obscurum opinor neque absconditum ex eo HORATII loco esse, quo, coepit

— — *vinoque diurno*

Placari genius festis impune diebus ^{o)}

Placare vocabulum neminem offendat, id quod mitem, placidum, tranquillorem facere iratum, ac sedare non perpetuo denotat, sed interdum placidum, et, vt dicunt, contentum facere. Quum pergat vates:

accessit numerisque modisque licentia maior,

ex eius sententia, totus ac solidus dies, ne parte quidem demta, vel excepta, festis diebus vino ita impenditur, vt ne a censore quidem sumtuaria quadam puniatur lege

VERVM

g) de N. D. I

h) ad ATTIC. V, 4

i) L. I, ep. V.

k) I, 20

l) Pseud. I, 2, 32

m) Sat. XI, 84

n) IV, II od. v. 6

o) de A. P. v. 209, 210



VERVM non animum solum, voluptatibus consecratum atque cupiditatibus genium significare, sed aliud quid, ex eodem apparet HORATIO, ad MAECENATEM scribente *):

*Quod te per genium dextramque deosque penates
Obsecro et obtestor — —*

Prius, quid aliud illud sit, quam declarem, ΡΟΡΜΑΜ P), atque ex eo NOLTENIVM q) crebra perspexisse notamus animaduersione, inter obsecrare et obtestari intervallum esse interiectum, nam illud est quasi ob sacra et res carissimas postulare, hoc precari cum mentione earum rerum, per quas petimus, ut, per deum, per quidquid carum est, per parentis cineres, per solitudinem matris, per familiae decus. Deinde viros per genium, feminas per IVNONEM iurare consueisse, manifesta est et confessa res. De genio ipse hic loquitur HORATIUS, de IVNONE TIBVLLVS r):

*Haec tibi sancta tuae IVNONIS numina iuro,
Quae sola ante alios est mihi magna deos.*

et s):

*Etsi perque suos fallax iuravit ocellos,
IVNONEMQUE suam.*

Quamquam huic mori TIBVLLVS ipse, per IVNONEM priori iurans disticho, atque IUVENALIS his verbis:

Et per IVNONEM domini iurante ministro;

refragari videntur; hic de molli quodam seruo atque effeminato faciens verba, muliebres, quos induerat, ipsi attribuens mores, false eum perstrinxit, ille vero in puellae suae gratiam iuravit. In primis TORRENTIVS t) annotavit, per genium principis romanos iurare solitos, testes iureconsultos citans, quem ad modum et per salutem principis et per principis venerationem, l. XIII de iureiurando, l. XLIII de transact. et l. II, C. de reb. cred. Ideo eleganter TERTVLLIANVS u), citius apud vos per omnes deos, quam per genium principis peieratur; nec minus facete MINVTIVS FELIX; eorum numen innocant, ad imagines supplicant, genium, hoc est, daemone implorant, et est eis tutius per IOVIS genium peierare, quam regis. Tum singulis hominibus genium assignasse antiquitatem, atque eum maius et sanctius aliquid ipso homine, itaque vulgo per genium alicuius solere orare, obtestari, iurare, pronunciauit LIPSIVS x), sed eundem, ut salutem,

*) Epist. I, 7, 94, 95

p) de differentiis verb. p. 513

q) in lex. L. L. antibarb. p. 1072

r) IV, et XII

s) III et VI

t) ad c. XXVII. SVET. CALIG

u) apologet. c. XXVIII

x) ad FLIN. paneg. c. LII



tem, vitam, fortunam eorum personas reuera denotare, IO. SELDENVS ^{y)} confirmat

DVO adhuc supersunt loca, in quibus genii HORATIVVS mentionem facit. Horum in altero ad AVGVSTVM scribit:

*Agricolae prisca, fortes, paruoque beati
Condita post frumenta, leuantes tempore festo
Corpus, et ipsum animum spe finis dura ferentem
Cum sociis operum, pueris, et coniuge fida
— — — piabant*

Floribus et vino genium, memorem breuis aevi ^{z)}.

In altero ad IVLIVM FLORVM:

*Cur alter fratrum cessare, et ludere, et ungui
Praeferat Herodis palmatis pinguibus; alter,
Diues et importunus, ad umbram lucis ab ortu
Siluesterem flammis et ferro mitiget aurum,
Scit genius, natale comes, qui temperat astrum,
Naturae deus humanae, mortalis in vnum*

Quodque caput, vultu mutabilis, albus et ater ^{a)}.

Quae his in versibus commemorantur adfectiones, genium dilucide indicant, hominum humanaeque vitae ἐπιστάτην, quem παγγενετην, βιοδωτερα θυητων ORPHEVS ^{b)}, PINDARVS ^{c)} ποτμον συγγενη nominat, ac δαιμονα γενεθλιον ^{d)}. Nominat vero genium HORATIVVS deum, quem inter maiorum gentium eosdem selectos deos posuerunt, at non deum solum, et si deorum filius ab AVGVSTIO ^{e)} salutatur, sed humanae naturae, ea minime mente, ac natura indutus humana esset, sed, quoniam parens hominum est, ex quo homines gignuntur, et, MARTIANO iudice CAPELLA ^{f)}, cum quis hominum genitus fuerit, mox eidem copulatur, etenim hic tutelator fidissimusque germanus animos omnium mentesque custodit. Qui genius, quem CEBES depingit, quum homine statim nato adest, quare eum μουσoγωγoν του βιου MENANDER ^{g)} appellat, quae eius in eo nascendo manera sunt, describit vates; natale, ait, comes qui temperat astrum. Multarum gentium, chaldaeorum, aegyptiorum, mentes astrologia,

y) in comment. de iureiurando vet. per genium et fortunam virorum principum, in PETR. ZORNI biblioth. antiquar. exeg. p. 811, 818

z) epist. I, II, 140 - 144

a) ep. 2, II, 183 - 189

b) N. 72, v. 2, p. 273 edit. Gesner

c) Nem. Od. 5

d) Olymp. od. 13

e) apud FESTVM ingenius

f) L. II, p. 39

g) in fragmentis p. 260, edit. CLERICI



gia, uti vocant, apotelesmatica, de qua CENSORINVS ^{h)} itemque LIN
DENBROGIVS ⁱ⁾ dedita opera disputant, cepit, ut cuitis, quo quis die genitus,
qualia fortietur, quam mortem obibit, et qualis erit, ex stellis iudicatur,
quoniam vitam nostram iisdem tam vagis, quam statis, esse subiectam, earum-
que vario multiplici cursu genus humanum gubernari, sed ipsarum motus,
schemataque et effectus a sole crebro immutari, perhibent. Quare etiam
factum esse puto, ut genium solem esse, MACROBIVS ^{k)} et HVETIVS ^{l)}
putent, propterea quod sol auctor spiritus caloris, ac luminis humanae
vitae genitor et custos est, et ideo nascentis daemon, id est, deus creditur.
Quare factum est, ut et memor brevis aevi, et mortalis in vnumquodque
caput vocetur. Genios autem astrorum rectores esse docet IAMBLI
CHVS, cuius doctrinae summa eo reedit, ut dicat, corpus illud caelestium
deorum seu siderum regi ab immateriali daemone, ita tamen, ut hoc cor-
pus nihil impediatur actiones daemonum, nec iis obstet, quo minus se sem-
per ad το εν των θεων referre queant, adeoque ab vnitatem et simplicitate
diuinorum inter se eos non abstrahat. Quin immo caelestia corpora ad
immaterialitatem proxime accedere, ratione suae simplicitatis, indiuisibi-
litate, immutabilitate, uniformis motus, et vitae cuique illorum inditae
statuit. Pergit, daemones illos astrorum oriri εν τω νοητω, atque ab illis
τα εμφανη των θεων αγαλματα proficisci, siue ipsa, de quibus loquimur,
astra, ita ut haec suorum daemonum sint imagines; connecti vero daemo-
nem cum astro, δια τον αφ'ενος προοδον και εις ένα των όλων αναγωγην,
και του ενος παντην εγχερατειαν, i. e. per progressum seu ortum vtriusque
ex vnitatem et κοινή μετουσια των θεων, per reuolutionem et circulationem
quasi omnium rerum ad illud vnum, et per imperium, quod est illi vni in
vniuersa ^{m)}, de quo vno elegantissime pariter ac copiose maxime c. XIX
differit. Eiusmodi daemones in sua astrologi arte decanos vocant et
λειτουργους, quos IAMBlichVS commemorat ⁿ⁾. Etenim IAMBLI
CHVS, quotiescumque de daemonibus cum generatim consideratis, tum
et

b) de die natali, c. VIII

i) in not. ad h. l.

k) p. 270 Saturnal.

l) de obseru. ad ORIG. p. 109, 110, in
demonstr. euang. p. 180, 230 et in Hue-

tianis apud ZORNIVM in biblioth. anti-
quario exeg. p. 794

m) S. I, 17, 19

n) S. IX, 2, v. SPENCERVS ad ORIG.
contra CELS. p. 416, et SALMASIVS de
ann. clim. p. 552



et vel maxime de proprio cuiusvis daemone disputat, conspectus caeli siue siderum, genethliologiae seu genethliacae scientiae, schematis geniturae seu figurae genitalis, *οικοδεσποτου* seu domini domus, aliarumque huiusmodi rerum astrologicarum mentionem subinde facit, quid quod expressis adserit verbis, proprium cuiusvis hominis daemonem siue genium a siderum circuitibus, siue, uti barbari loquuntur, constellationibus, quae in generatione conspiciuntur, naturaliter proficisci aut deduci. Quoniam haec de daemonibus doctrina primos natales illis populis aut philosophis debet, qui plane mirificam atque incredibilem paene philosophiae naturali atque astronomiae, in primis vero astrologiae diuinatrici nauarunt operam; neque LACTANTIUS, neque CLEMENS alexandrinus, quos BRVCKERVS °) laudauit, suspicionibus iudicarunt, daemones astrologiae, aruspinae atque augurationis principes fuisse atque architectos. Interim sub his daemonibus nihil latent, nisi siderum caelestium in tellurem atque genus humanum influxus, aut, spiritus mundani, siue animae mundi quaedam quasi portiones, propagines atque irradiationes, partim a planetis siue stellis vagis, partim a stellis fixis, in dodecatemeria, siue duodecim asterismos, quasi totidem domos, per Zodiacum seu circulum signiferum digestis, partim atque praesertim a sole atque luna, principatum inter stellas obtinentibus, subtilissimorum effluuiorum instar per aethera atque aera prouido numinis optimi consilio in terram emanantes. Sin, nostrorum more sapientum dicere volumus, daemones rerum naturalium quarumuis naturae singulares, vel quasi totidem naturae communis peculiare vires sunt, in rebus naturalibus quibuslibet conspicuae, sapientissimoque numinis consilio atque imperio sic informatae, ut a siderum caelestium, lunae praesertim atque solis efficacia mirifice temperentur ac promoueantur. Ita iudicat FROBESIVS P)

QVAMQVAM geniorum describens PLATO indolem, neutrum, sit ex aethere, sit ex aere, conspici omnino posse, nec, quamuis prope nos sint, vmquam manifesto nobis apparere, perhibet: q) at adparuerunt tamen, idque tam frequenter, ut pythagoraei, si quis, se vmquam daemonem vidisse

o) in histor. crit. philos. T. I, P. I, L. I, c. II

p) in mysterio de daemonibus reuelato pag. LVII

q) in Epinom. & διοραμενον όλον, αυτων ικατερον είναι παρον δη πλησιον, & καταδηλον ημιν γινωσκεισθαι.

disse, negaret, oppido mirati sint. Eorum speciem IAMBELICHVS exprimit, *Φασματα* esse varia, ita vt idem spiritus, mox magnus, mox paruus appareat, terribilia, confusa, pulcra quidem, sed pro ratione suae naturae, per quam, vt alibi monet, vapores mundanos admistos habent, materiaeque propiores sunt, tradens^{r)}. In primis forma se stiterunt humana quam saepissime, quam ob rem M. TYRIVS^{s)} *Φιλανθρωπον το δαιμονιον γενος και ειωδος αποκρινειν δια σωμάτων ανθρωπινων* appellat. Qua de re CALASIRIS ENEMONEM apud HELIODORVM^{t)} perspicue satis instruit, deos nempe docens ac daemones, cum nobis appareant, alius animalis, quam rarissime hominis vt plurimum assumere figuram, *τω ὁμοιω πλεον ημας εις την φαντασιαν αποκρυμμενους*, et cognosci ex oculis, quorum palpebras non moueant, pedibus etiam, quos non alternatim proferant, sed findant magis aerem, quam pedum eum protrudant transpositione, vnde deorum statuae pedibus ab aegyptiis fingi coniunctis. Harum apparitionum varia prostant exempla. Sic EVNAPIVS de IAMBELICHO narrat, eum, aliquando cum discipulis suis gedarenas quum inuiseret thermas, duorum fontium elicuisse genios, quorum alter eros, anteros alter sit vocatus, vtrumque pueri candidi, modica statura similem, nisi quod nigras alter, alter fuluas habuerit comas. Sic AMMIANVS MARCELLINVS de CONSTANTIO scribit: Post confessus est iunctioribus proximis, quod tamquam desolatus secretum aliquid videre desierit, quod interdum adfuisse sibi squalidius existimabat, et putabatur genius quidam tutelae salutis appositus eum reliquisse.^{u)} Ne dicam de apparitionibus, quae BRVTO, quae CASSIO, quae Temessae contigerunt, de apparitionibus, quae alia sub forma ac humana, de quibus RABENERVS^{v)} egit vna cum HVETIO^{w)}, propter varias apparitiones vultu mutabilem album et atrum genium vocari putans

QVEM ad modum ex variis his apparitionibus satis superque adparet, genium cum iratum, tum comem adparere, atque eam ob causam homines vel felices, vel infelices, vel *ευδαιμονες*, vel *κακοδαιμονες* fieri, quid quod confirmari videtur, duplices esse genios, bonos vel malos^{x)}, id quod quidem MENANDER his negat verbis:

Κακον

r) S. II, c. 3

s) diff. XXVII, p. 271

t) Aeth. III, 23

u) XXI, 14

v) in diff. II, de daemonibus §. XX, sqq

w) in daemonstr. euang. p. 180, 230

x) IAMBELICHVS malos genios *γενος τε* nominat, *απατηλης φυσικης, παντομορφοντα*



— Κακόν γὰρ δαίμον οὐ νομίζου.
 εἶναι τὸν βίον βλαπτόντα χρῆσον, πάντα γὰρ
 δεῖ ἀγαθόν εἶναι τὸν θεόν.^{γ)}

ita, vt ob ipsi debitam reuerentiam sacrificia offerrentur, necesse fuit. Pia-
 bant, id est, colebant, pie tractabant, praesertim, vt noxii quidquam au-
 feratur, floribus et vino genium. Genii cultores coronatos, dum licitum
 fuit, bibisse, vero vix simile videtur, huic vero numini talem similis prae-
 stitisse religionem, vt, ara exstructa, fertisque ex floribus nexis ornata, in
 ignem accensum merum, vinum puto, cui non erat aqua admixta, fu-
 derint. Hic colendi ritus ex quibusdam colligi potest locis, vt, OVIDII,

*Fumida cingatur florentibus ara coronis? *)*

itemque^{α)}

*Da mihi tura, puer, pingues facientia flammis,
 Quodque pio fufum stridat in igne merum.*

quid quod HORATII

— — ara castis
*Vincta verbenis auet immolato
 Spargier agno^{β)};*

quo vetus adnotauit scholiastes: verbenae sunt omnes herbae frondesque
 festae ad aras coronandas, quales laurus, oliua, myrtus, fuerunt, et quas
 ex aliquo puro sacroque loco decerpi, religio iussit. Iussit quoque religio
 his fieri daemonibus sacrificium. Etenim hi mali, docet PORPHYRIUS^{γ)}
 daemones sunt, qui gaudent libamine et nidore, quibus eorum corpuscu-
 lum

καὶ πολυτραπόν, ὑποκρινόμενον θεοῦ, καὶ δαι-
 μονίας, καὶ ψυχὰς τῶν τεθνηκότων — ἀμαθῆς
 σίγκης τῆς τοῦ ἀληθοῦς τε καὶ ψευδοῦς διακρι-
 σίως, διὰ τὸ ἐν σκοτεινῇ τῇ ἀρχῇ τετραφθῆαι,
 τὰς τε ἀρχὰς, ἀφ' ἧν παραγόνται ταῦτα οὐδε-
 ποτὲ δύνασθαι διαγινώσκει

γ) in fragm. p. 260, ed. CLERICI

α) trist. III, el. XIII, 15

β) trist. V, el. V, 11, 12

β) od. XI, L. IV, v. 6, seq

γ) de abstinentia L. II. Οὗτοι εἰ δαίμονες
 χαίροντες λαιβῆτι, κνισσῆτι, δι' ἧν αὐτοὶ τὸ σω-
 ματικὸν καὶ πνευματικὸν πιαίνονται. Ἰὴ γὰρ
 τοῦτο ἀτμοῖς καὶ ἀνατιμιαστέον καὶ ποικίλως δια-
 ποικίλων καὶ δυναμῶνται, V. ΤΟΒ. ΠΡΑΝ-
 ΝΕΡΙ system. theol. gentil. purioris
 c. VI, §. III



lum et acreum illud pinguescit. Viuit enim id vaporibus et fumigationibus, varieque id, vt varia sunt ea, roboraturque nidoribus.

HICCE cultus, qui animo puro piaque mente, vel, vti APVLEIVS, exemplo e SOCRATE capto, praecipit, iustitia et innocentia, peragebatur, materialis fuit atque mero absoluebatur solo, ture, aliisque ritibus, quos commemorare, quoniam fini repugnat meo, superuacaneum puto. Num vero hostia caesa fuerit atque mactata, multi sunt, qui negant, quoniam, eo, quo hac vita et spiritu communi frui coepissent mortales, die manus sanguine pollui, nefas putabatur. PORPHYRIVS malos opinatur spiritus, qui cruentis delectantur sacrificiis. CENSORINVS^{d)} iudicat; forsitan quis quaerat, quid caussae sit, vt merum fundendum genio, non hostiam faciendam, putauerit? quod scilicet, vt VARRO testatur, in eo libro, cui titulus est atticus et est de numeris, id moris institutique maiores nostri tenuerunt, vt, cum die natali munus annale genio soluerent, manum a caede ac sanguine abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent. ALEXANDER AB ALEXANDRO, aliis incruentis deorum sacrificiis commemoratis, quibus, vti, in Termini, Paliliorum, Terrae, Fidei, Carnae deae, laris familiaris sacris et in primo die quinquatriorum Mineruae, victimas aut hostias caedere, antiquo more prohibitum fuit, arbitratur; romani non solum vrbs natalem, sed singulorum dies natalitios pulte, fritilla, mero, libis, floribus et ture sacro a genio, sine animali hostia, laeti, libentesque concelebrarunt, quibus diebus effudisse cruorem aut animal mactasse, mali portenti erat et foedi auspicii: namque erant hilaritatis et laetitiaie pleni dies.^{e)} Horum sententiam sequuntur multi, vti, GYRALDVS,^{f)} STRVVIVS,^{g)} CASAVBONVS,^{h)} DEMPSTERVS,ⁱ⁾ quos quidem meliora docet HORATIVS, qui, PHYLLIDEN ad MAECENATIS natalem inuitans, victimam caedi, profitetur, dum canit:

— — ara, castis
Vineta verbenis, auct immolato
Spargier agno.

C 3

SICVTI

d) de die nat. c. II
e) L. II, genial. dierum c. XXII
f) in syntagm. deor. c. XV
g) ant. rom. c. I, p. 74

b) ad PERSII sat. II, p. 175
i) in paralipom. ad ROSINI antiqu.
p. 208



SICVTI non hominum tantum ortui, eorumque omni vitae praefuit
genius, ita etiam connubiò. Cui nisi ille adfentiretur, illud minime stabile
crediderunt. Quare ipsius honori sollemne fuit, duorum sternere pului-
narium lectum, quem HORATIUS^{k)} lectum, PLINIUS^{l)} torum nuncu-
pant genialem, CATVLLVS^{m)} puluinar geniale. HORATIUS in aula
stratum fuisse, hoc est, in domus atrio e regione ianuae, dicit, quare ei
nomen lecti aduersi fuit, de quo PROPERTIUSⁿ⁾:

Seu tamen aduersum mutarit ianua lectum

Sederit et nostro cauta nouerca toro

k) epist. I, L. I, v. 87

l) Paneg. VIII

m) de nuptiis PEL. et THES

n) IV, eleg. XII

VITENBERGAE
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACAD. A TYPIS



